

SYLVIVS. Si iam satis, Amici, disservistis de Mineralibus, & *De Vegetabilibus, & Animalibus corporibus Solaris facultate præditis.* Metallicis, pace vestra liceat, ab istis aurifodinis medicis, exspatiari paullulum in nostras sylvas, viridaria, prata, hortos, & agros amænissimos. Ecquid, Theodore, cælestis, ac ætherii istius nectatis, Solaris, atq; salutaris ambrosiæ, & opobalsami; et quid auri medici, Vegetaliũ, & Animalium habet corpora?

THEOD. Plurimum sane, ut ante etiam monui. Nam præter elementarias medicorum qualitates; imò etiam específicas illas simplicium, quas vocant, proprietates (de quibus copiose præstantissimi Medici scripserunt) pleraq; Vegetalia & Animalia, Balsamo hoc solari, & sacratissima ista Medicorũ pandora, & Panacea gaudent atq; abundant. Et quo plus aureoli illius Balsami possident; eo meliora sunt, tutiora, & efficaciora. Imò si quo medio aut remedio, si qua vi, aut via corpori humano vires conservantur, aut inistaurantur naturales; aut totum corpus quasi incorruptum, ad certum usq; tempus, à Deo Opt. Max. constitutum, custoditur; & tam substantia partium, quam humores à putredine vindicari queunt: Hoc medio, & remedio (divina supremi illius Medici annuente benignitate) id effici, certum est.

SYLV. Nunc mihi, quæso, enumeres vegetabilia, ut vocant, præcipua: In quibus vis illa occulta, siderea, Solaris, Cardiacæ, & vivifica, seu opobalsamum aureum maxime delitescit.

THEOD. Lubentissime. Horum pleraq; præter ipsas elementales qualitates; etiam propter vim naturalem, & præsentaneam; nonnulla etiam ob occultam totius substantiæ proprietatem, corruptioni, putredini, venenis, pestiq; obsistentem; rebusq; tota substantia, atq; forma sua, principum corporis partium vires, substantiam, ac humores lædentibus contrariam, à summis Regibus, & Medicis, multarum scientia, usque rerum celeberrimis cumprimis sunt nobilitata.

Quædam præterea ex his, natura sua, & quidem totius ferme substantiæ proprietate abdita, singularem singula cum singulis corporis partibus, Sympatheiam obtinent; sic sane, ut præteritis aliis, ad illa præsertim se conferant, iisque admiculentur, quibus à Natura putantur destinata, ipsaque membra avidè, non solum nutrimentum, sed medicamentum etiam sibi salutare, familiare & proprium alliciant, eoq; fruuntur, ut eruditissimorum medicorum verbis utar; quorum unumquodque singulatim tibi exponam.

Nunc igitur, simplicia illa vegetalium Solaria tibi recensebo: & quidè memoriæ juvandæ causa, secūdū distinctos primarum

*Alexis
pharmaca, seu alexiteria.*

*Catalogus
simplicium
Solarium*

marum